

Q.H. 351, 35.

De determinine visitatione christiana. et

II f  
800

X 231 6399

I. N. 3.

EPHORUM AC PRÆSULEM EXCELLENTISSIMUM,  
ET RELIQVOS SCHOLÆ PATRONOS,

FAUTORES, ATQVE AMICOS,

AD PARENTALIAB. RICHTERO  
PER

GOTTHELF FRIDERICUM

KRAUSSUM,  
ADOLESCENTEM BONVM AC  
MODESTUM,

EA SIMUL OCCASIONE AD LEG. I. c. 2.  
DE TEMPLIS QVÆDAM DICTIIRUM,

D. VIII. KAL. MARTII, FACIENDA,  
HAC, QVÆDEFAMA AGIT HONESTA,  
PAGELLA DECIMA

DECENTER, ET COMITER INVITAT

M. SAMUEL MOLLERUS, G. PATRII R.

---

STANNO KUHFUSIANO, A. 1715,




**V**ando vero dictum modo est, eam, qvæ solida, famam a Deo,  
veraque virtute ad homines pervenire; sed hujus s̄epe no-  
mine ac schemate vitia veniant ipsa, eoqve imprudentiori-  
bus habitu imponant: qvid de ista, qvæ hinc acquiritur,  
laureola statuendum sit, nemo non facile judicabit. Immane enim  
qvantum ethnicorum ab eâ, qvæ in Christianis est virtus, differt: &  
si, Socratis ipsius testimonio, melior ille, & felicior est, qvi ad Deum  
accedit proprius: istos, qvibus parum certi de Deo divinisqve rebus  
constitit, ab ipso juxta etiam ab eâ, qvæ inesse debet humanis mentibus,  
bonitate fuisse remotissimos, palam fit. Ac licet qvidem ipsorum non  
tam ad legem, ab isto omnium bonorum fonte ac origine Deo solemnis-  
sime rogatam, qvam ad eam, qva rationis vis atque facultas omnes  
regulâ instruxit, vitam examinemus: tamen tanta erit bonorum pen-  
uria, ut, si vel innumeris famam obtinuisse, at paucissimi meruisse  
videantur. Qvi in omnibus genere etiamnum ita excellunt, ut  
humanæ sortis terminos excessisse putentur, inqve ipso, ob benefi-  
ciorum memoriam, cœlestium concilio collocati sunt: eosdem sua  
vel arguit temeritas, vel perverse imitata prudentiam calliditas da-  
mnat. Ita qvidem cum periculo suo nutantem servasse ac sustentasse  
patriam dicuntur, animo & genere nobilissimus adolescentis Curtius,  
eques in vastum terræ hiatum præceps actus; Decii, suum qvisque  
caput pro salute ipsius devovens; suoqve exitio quietem illi redimens  
Codrus. Et, si abstinentiæ velis documenta, Scipio eadem, Indibili  
sponsam restituens illibatam; Alexander oculos ab intuitu Statiræ li-  
bidinoso continens; Xenocrates Phrynis illecebras ineolumi pudore  
contemnens, aliiqve plures suppeditant. Coriolanus cum armis  
vinci non posset, & precibus, ad unius matris conspectum animum  
immutavit suum, atqve ab obsidione decessit; Africanus vulneratum  
in prælio patrem opposito texit corpore; T. Manlius Torquatus a  
patre ob ingenii tarditatem in rus relegatus, ipsi, injuriæ immemor,  
adversus Pompejum, Tribunum plebis tulit suppetias. Laudibus  
nimis evehit ac ornat M. Catonem Paterculus lib II. c 35. Hic genitus,  
inquietus, pro avo M. Catone, principe illo familia Portia, homo virtuti simili-  
mus, & per omnia ingenio diu, quam hominibus propior, qvi nunquam recte  
fecit,

fecit, ut facere videretur, sed quia aliter non poterat, cuicunque id solum vimam est rationem habere, quod haberet iustitiam, omnibus humanis vitiis immunis, semper fortunam in sua potestate habuit. Quae, si cum vero conveniunt, nullum neque perfectius, neque melius fisti hoc potuisset virtutis exemplum atque narrari: & si quisquam alias, ille imprimis meritus esset, quem multis Christianorum ante terret posteritas, ac fideliter admirata omnia laude cumularet. Ast hunc, tantopere ab Vellejo commendatum, non mors saltem voluntaria criminis obnoxium facit maximum: sed ipsa quoque vita invidiae & obtręctationis accusat, ac tantum non convincit. Periclis enim judicio Prætorem non solum manus, sed oculos etiam abstinentes habere decet: &, qui accuratisimæ satyrae autor est, Juvenalis, ipsam mentem pravam carere cupit libidine, Scelusque, ait, intra se tacitum qui cogitat ullum, Facti crimen habet, Satyra 3. Qvando autem de eodem Florus libr. IV, cap. 2, Catone testatur, quod adversus potentes semper obliquus fuerit, solitus detrectare Pompejo, atque ejus obstrepere: illa tam perfectæ virtutis fama multum labefactatur. Primus enim virtutis gradus est, malis operibus abstinere; secundus etiam malis verbis; tertius & summus cogitatione rerum malarum, & quidam quasi divinitas. Lactant. de vero cult. cap. 13. Qvae vero cum ignorarent illi, qui deinde pagani dicti sunt, rari admodum inter eos cum virtutis, tum vitorum æquique fuerunt æstimatores ac judices: iisque ipsis rebus factum est, ut quidam historici nec laudent candide, nec aperte vituperent, & non nulli in aliquo consenserint infamando, quem summis aliis ad cœlum laudibus efferunt. Reæstissime hanc le rem pensasse existimat Seneca: quicquid graviter per totam CXX epistolam hoc de sinistro hominum judicio ad Lucilium, suum scribit, eumque rem ipsam ab ejus saltem imagine, quæ confinis esse posit, jubet distingvere. Quæ sit, inquit ille, haec analogia dicam. Noveramus corporis vires, ex his collegimus, esse & animi robur. Aliqua beneficia, aliqua humana, aliqua fortioris obstupefecerunt: haec cepimus tanquam perfectam mirari. Suberant illis multa vicia, quæ species aliquis conspicuæ facti fulgorque celabat. Hec dissimulavimus. Natura jubet angere laudanda. Non non gloriam ultra verum tulit. Atque is ipse scriptor adeo Stoïcorum, quos seqvius illud seculum protulit, facile principi placuit.

Lipio,



OK  
MF  
800  
Lipio, ut dignum istum statueret, cui deberent omnes, qvibus ipsa  
virtus curæ cordiqve esset; qvi vixisset haud aliter, ac scripsisset; sed  
ita scripsisset, ut crebro post sacras literas, nihil in orbe, in ulla lingva  
scriptum utilius meliusqve sit. Vid. Epit. ad Belg. L. I. **XVI** & **XLII**.  
Ipsum si audias Senecam, eundem, qvemadmodum præcepit, vixiste  
videatur: cum ipsius effato, Epist. X. facere doceat Philosophia,  
non dicere, & hoc exigat, ut ad legem qvisqve suam se componat; ne  
orationi dislentiat vita, sed ipsa inter se unius, sine actionum dissen-  
sione, coloris sit. Ipsi vero, qvi aliorum par libertate aperuit, atqve  
reprehendit vitia, qva hæc illi patrare ausi sunt, dicam scribit gran-  
dem Dio Cassius libro **LXI**, inqve ejusdem multa scelera, qvæ in aliis  
damnasset, maxime vero libidines, crudelitatem, luxum, ambitio-  
nem, ac simulandi dissimulandi studio invehitur. Excusat  
animi vitæqve suæ hunc formatorem loco dico Lipsius. Dionemqve in  
Philosophos semper iniquum fuisse statuit, suamqve Taciti aucto-  
ritate confirmat, qvi multa de Seneca memoret, sed laudanti sem-  
per propior, qvam carpenti. Qvi vero utrum carpat, an exculet  
magis, ex libr. **XII** Annal. cap 8, **XIV**, 52. **XV**, 65. cognovisse liceat.  
Sed tamen hic aliquid concedendum atqve condonandum est huma-  
næ conditioni: ita enim nascimur omnes, ut manes patiamur nostros,  
atqve cum vitiis conflictemur: at qvi in emendanda natura sua sedulo  
occupatus est, et si eo non adspiret semper, qvo contendit; tamen, si  
non absit longe, etiam vicissè, atqve palmam obtinuisse putabitur.  
Non peccatis venia datur; sed his, qvi aut inviti peccant, aut vitio  
qvodam præoccupantur: siqve nemo, qvi in errore versatus est, hac  
via famam meruit; tamen ubi sese emerserit ex malo suo, & vitia, qvo-  
rum pœnituit, ratione meliori emendaverit; virtuti æqve ac pœniten-  
tiæ huic tribuet laudem suam posteritas. Fama hic stabit, ubi plus  
laudes, qvam virtuperes: laudabitur præcipue, qvi in non malis erit  
optimus. Mortem Ciceronis solus ex omnibus maligne narrat Asinius  
Pollio; tamen qvod, qvamvis invititus, ei plenum, apud Senecam in  
parte svasoriæ **VI** posteriori, qvæ aliis **VII** est, testimonium imperti-  
tur, hic maxime audiendum est: Quando mortalium nulli perfecta virtus  
contigit: qua major pars vita atque ingenii stetit, ea judicandum  
est de homine.



**Farbkarte #13**

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Q.H. 357, 35.

De determinate visitatione christiana. et  
de missis libidinibus Redemptoris. Et rebus  
consecratissimis. et ceteris. et ceteris.  
Innotescit. et ceteris. et ceteris.

X 23 A 6359

II f  
800

I. N. J.

EPHORUM AC PRÆSULEM EXCELLENTISSIMUM,  
ET RELIQVOS SCHOLÆ PATRONOS,

FATORES, ATQVE AMICOS,

AD PARENTALIA B. RICHTERO  
PER

GOTTHELF FRIDERICUM

KRAUSSUM,  
ADOLESCENTEM BONVM AG  
MODESTUM,

EA SIMUL OCCASIONE AD LEG. I. c. 2.  
DE TEMPLIS QVÆDAM DICTLURUM,

D. VIII. KAL. MARTII, FACIENDA,  
HAC, QVÆDEFAMA AGIT HONESTA,  
PAGELLA DECIMA

DECENTER, ET COMITER INVITAT

M. SAMUEL MOLLERUS, G. PATRII R.

STANNO KUHFUSIANO, A. 1715.

